

quæque pars, suum proprium habet munus, sic et in universo, singulæ eius partes, singula sortiuntur opera, per quæ invicem, et pariuntur, et agunt, et cuique accedit aliquid, quo illud vel adiuvetur, vel offendatur. Neque tamen id temere. Neque quodlibet a quolibet, sed hoc ab illo tantum, atque ita deinceps, ex communi scilicet mundanarum partium σύμπνοια conspiratione, et sympathia. Hæc Plotinus, Ficinus vero, Plotini sensa latius ex posuit, et facundius est persecutus. Utrosque imitatus est Io. Picus, sed latissime, tum artem Astrologicam, tum eius et fundamenta, et rationes omnes funditus evertere est conatus. Non tamen effecerunt, quin adhuc innumeri, velint esse Astrologi, sintque in futurum ex tituri. Tanta est animis humanis insita, futura præsciendi aviditas. Sed Astrologos istos, et eorum tum osiores, tum amatores missos faciamus. Rem nos nostram agamus. Quæstio est nobis proposita, utrum stellæ aliquid agant. Hæc quidem universalior est, quam ut ad homines solos, uti hi tres magni fecere viri, redigatur. An scilicet stellæ, hominum tantum, vel curam gerant, vel ipsis Solis boni, vel mali influant aliquid. Sed in amplius, est quæstio fundenda, utrum omnino agant aliquid stellæ? Actio hæc, vel inter eas versatur, vel per totum extenditur cœlum, vel per partes eius omnes, et singulas vagatur, et proximas, et longinquas, et procul maxime positas. Vel etiam in superum mundum Empyreum porrigitur, vel in inferiorem hylæum descendit, et per ærem pervadit universum, et aquam, et terram occupat universas, tum horum partes. Nec non etiam, an quid in metalla, in tot generum lapides, in plantas in Zoophyta, in tot animalium species, non minus quam, an in homines tantum agerent, considerare si non Astrologi, qui pecuniarum suam artem fecerunt aucupium, philosophi saltem debuerunt, quibus, veritatis vestigandæ proprium est munus, et rerum causas inquirendi. Nos igitur ita dicamus. Astra confessione tum Astrologorum, tum philosophorum omnium, corpora sunt. Corpora aut omnia, sunt substantiæ. Substantiæ aut omnes vires habent suas. Vires in actiones sibi proprias exeunt. Siderum substantiam iam antea sumus contemplati. Vires modo eorum, et actiones sunt cognoscendæ. Astra a Deo sunt creata. Deus nihil frustra facit. Igitur, astra, corpora tam insignia, tam ingentia, tanto numero, quis dixerit eum fecisse frustra? Neque igitur vires eis indidit frustra, neque ex iis viribus, frustra exeunt actiones. Et quamvis Platonem, et Aristotelem, tam magnos rerum indagatores, et his vetustiores multos, et horum posteriores longe plures philosophos, videamus hac de re, ne verbum fecisse, rei ut nos putamus difficultate, ac forte etiam impossibilitate deteritos, attamen quantum possent in eam incumbere, et penetrare debuissent. Quod ipsi cum non fecerint, nos aliquid attentemus, et ex demonstratis, quantum eruere possimus, periclitemur. Igitur, demonstratum antea est, stellas esse ignes, luces scilicet, et flammas in fluore, et ex fluore singulas compactas, et a lumine, et calore primævis id ipsum quod sunt, esse. Diximus quoque ab ideis rerum formas per essentias, per vitas, per mentes, per animum fontanum in spacium esse fusas, quæ rerum generandarum essent semina. Quas spacium, et recipere primo, et in se continere postea deberet, et continendo in se servate. Quoniam vero spacium monstravimus immotum stare, lumen autem per ipsum totum fundi. Fundi autem sine motu nequiret; necesse fuit lumini ea semina in hædere, quorum vector ipsum esset, et quasi seipso, vehiculo usum, quaquaversum difunderetur, ea semina deferet. Per spacium primo universum, qua ipsum funderetur. Per calorem postea sibi comitem, perque fluorem, ex quo, seminum illorum vi, corpora omnia, formæque corporum omnes efficerentur. Itaque primum corpus, qui mundus fuit Empyreus, spacio, lumine, calore, et fluore conformatum, constans, seminum eorum omnium plenus fuit. Vel enim, plenum iis fuisse, vel vacuum est necesse. Si vacuum dicamus, perfectissimum mundum, imperfectissimum esse concedemus. Quis enim nescit, vacuum, nihili esse fratrem? Neque esse inter entia numerandum: imperfectionemque ipsissimam, maximamque omnium esse. Longe ergo satius est fateri, plenum seminibus fuisse. At plenum ne totum? Vel partibus, aut parte plenum, aliis vacuum? Si aliquibus vacuum, eadem redit imperfectionis, parte vacui ratio. Et erit Empyreus perfectus, partim imperfectus. Et ad hæc ratio est excogitanda, cur